

60 iam tibi anni superesse usque ad extremam possunt,  
 quamvis sit longissima, senectutem. Sed et in hoc ipso  
 tempore vide quanta intervenire possunt. Primo quod  
 nemo etiamsi usque ad vesperam perveniat certus est,  
 deinde quod mobilis semper humanarum rerum status  
 65 est. Frequenter enim vita quidem in longum tempus  
 producitur, nec tamen facultates ac divitiae ei fideliter  
 permanent, sed saepe accidit ut prius quis opibus quam  
 vita deficiat. Verum tamen concedamus et vivere te posse  
 annos multos et nullam permutationem temporum pati.  
 70 Et quantum, quaeso, istud spatii est ad aeterna suppli-  
 cia ! quantum hoc voluptatis est ad illas execrabiles et  
 intolerabiles poenas ! Nam in hac quidem vita sive bona  
 sive mala terminum suum norunt eumque velociter sor-  
 tiuntur. In futuro autem saeculo utraque immortalibus  
 75 spatiis protenduntur.

10. Adde et illud quod etiam poenae ipsius longe alia  
 et diversa condicio est. Ignis enim hic qui in praesenti  
 vita est absumit cuncta quae recipit. Ille vero quos sus-  
 ceperit semper cruciat et poenae suae semper integros  
 5 servat. Propterea enim inextinguibilis dicitur et non  
 solum quia ipse non extinguitur, sed et quia nec eos quos  
 susceperit extinguit aut perimit. Scriptura enim dicit  
 quia et peccatores induant incorruptionem, scilicet non  
 ad honorem vitae sed ad diuturnitatem supplicii profu-  
 10 turam. Huius autem poenae vim et ignis illius potentiam  
 nulla vox exponere, nullus sermo poterit explanare.  
 Nihil est enim in rebus corruptibilibus quod conferri  
 possit incorruptibilibus sive bonis sive malis. Verumta-